

Joachim Albinus Georg Krusemark


Disputatio De Emptione Venditione

Rostochi[i]: Pedanus, 1619

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749383941>

Druck Freier  Zugang





V. N. 2 (155.)

1. Boucquoy, de renunciatione invalida.
2. Cludius, de tutelis.
3. Cludius, processus iudicarii suscipiendi delincentis.
4. Gerhard, de solemnitatibus testamentariis.
5. Lotichius, de foro competente, tam communi quam privilegiato.
6. Lotichius, de jure primogenituræ seu de primogeniis illustrium imperii.
7. Mehlbaum, de collationibus bonorum.
8. Mehlbaum, de traditione seu modo acquirendi naturali.
9. Rinowius, de fideicommissis familiaribus.
10. Sturzium, de statutis et eorum interpretatione.
11. Wieg, societatis, quæ est inter virum et uxorem respectu conjugalis acquiritus.
12. Linc, de sequestratione, placidæ creditorum cæsuræ, in themistiois Actorum.
13. Linc, de panibus civilibus.
14. Carnach, de differentiis juris rom. et germ. in heredis institutione voluntaria.
15. Müller, de veritate celata.
16. Bornemann, de negotiis gestis.
17. Engelbrecht, de jure absentia.

18. Antrenius, arbor consanguinitatis et affinitatis
tam respectu matrimonii, quam successione.
19. Arumaeus, selectarum juris appoime controversi quaestio-
num ΗΜΙΕΚΑΣΤΙΑ.
20. Arumaeus, de ΠΡΩΤΟΠΡΑΞΙΑΣ, iure et privilegio pluri-
um creditorum colligis exactioibus.
21. Arumaeus, de iure tutelarum.
22. Arumaeus, ad l. 2. C. de reficend. vendit.
23. Arumaeus, de iure emphyteutico.
24. Braun, de poena conventionali maxime in matri-
monialibus.
25. Baumer, de iurjurando, vi et metu exorlo.
26. a Breugel, de represso alijs.
27. Althart, de libello.
28. Albert, de termino animationis foetus humani, rannu dal
Rind in Mülltalneibu sin Darla auyfscuyt.
29. Alherti, de pulmonum subfidentium experimenti prou-
denti applicatione
30. Albinus, de iure dotium.
31. Albinus, de emtione vendit.
32. Albinus, de p. p. restitutionibus.

31 45.
Disputatio
DE
EMPTIONE
VENDITIONE

Quam

ANNUENTE AC JUVANTE DEO TER. OPT. MAX.

Scitu ac permissu Amplissima Facultatis Juridica
in Academia ROSTOCHIENSI

SUB PRÆSIDIO

CLARISSIMI ATQUE CONSULETIS SIMI VIRI

DN. IOACHIMI ALBINI

J. U. D.

Publicè ventilandam proponit

GEORGIUS CRUSEMARIUS

Perlebergâ - Marchicus,

In Auditorio majori, horis consuetis,
Ad diem 18. Septembr.



ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.

ANNO M. DC. XIX.

*Præstantissima Rostochiensi
Universitati amico ac*

42

EMPTIONE

EMPTIONE

EMPTIONE

EMPTIONE

EMPTIONE

EMPTIONE

EMPTIONE

EMPTIONE

EMPTIONE

EMPTIONE

EMPTIONE

EMPTIONE

EMPTIONE



D. O. M. A.

D E

EMPTIONE-VENDITIONE

THESIS I.



Emptio-Venditio (a) est Contractus (b) juris gentium (c) nominatus (d) bonæ fidei (e) solo consensu, (f) de re certa (g) emptori tradenda pro certo pretio (h) venditori dando, initus.

(a) quæ à permutacionibus originem sumpsit l. 1. ff. de contrab. empte. Unde permutatio in l. Aristo. fin. ff. de rer. permut. emptioni vicina, & in l. permutacionem 2. C. eod. vicem emptionis obtinere dicitur. Differt tamen nihilominus ab ea, l. quod permutatio sit vetustior hac. Treutl. p. 1. d. 28. th. 1. tit. d. II. In hac Emptor cogitur nummos facere venditoris, & venditor rem venditam tradere l. ex empto. 11. §. & imprimi 2. ff. de act. empte. In illa autem dominium utriusque transferri necesse est d. l. 1. ff. b. t. l. 1. in princ. ff. de rer. permut. III. Permutatio fit rebus utriusque datis: Emptio verò non item, sed necesse est, ut ab uno res, ab altero pretium præsteretur l. emptionem 7. C. d. r. l. 1. §. 2. ff. b. t. IV. Permutatio fit non nisi re tradita: Emptio autem perficitur nudo etiam consensu, nulla rei traditione, aut pretij solutione facta d. l. 1. de rer. permut. V. Res aliena vendi potest l. rem alienam ff. b. t. permutari non potest, nisi res propria d. l. 1. §. ideòq; 3. ff. de rer. permut. Hunn. in resol. Treutl. vol. 1. disp. 30. quest. 4. & 5. Schneid. ad §. item pretium n. 3. Inst. b. t. Olim ex ll. 12. tab. omnem alienationem & acquisitionem Emptio-Venditio comprehendebat l. Scatiliberi 29. §. 1. ff. de Statulib. quæ tamen valdè etiam differt ab hoc contractu: cum alienatio partim latius, partim strictius sumatur, ut videre est apud Goedd. ad l. 28. & l. 67. ff. de Verb. Signif. (b) l. 1. §. 1. l. consensu 2. §. fin. ff. de obligat. & Act. §. fin. Inst. de obligat. princ. Inst. h. t. l. emptionem 2. l. seq.

*l. seq. l. empti fides 9. l. fin. C. de contrah. empte. l. de contractu 3. C. de rescind. vend. l. jubemus 14. in princ. C. de sacros. Eccles. (c) l. i. §. fin. ff. h. t. l. ex hoc jure. 5. ff. de just. & jur. §. sed jus quidem 2. vers. & ex hoc. Inst. de jur. nat. gent. & civ. l. juris gentium 7. in princ. & §. i. ff. de pact. (d) quia proprium & speciale nomen à lege ipsi attributum habet d. l. 7. §. i. de pact. l. i. §. item emptio. 2. ff. de rev. permur. VVesemb. in paras. ff. de contrah. empte. n. 2. (e) l. si dolo 5. C. de rescind. vend. §. actionum autem 28. Inst. de action. In hoc enim contractu alter alteri obligatur in id, quod ex bono & æquo præstari oportet §. item in his. Inst. de obligat. ex consens. l. i. §. i. l. tenetur 6. §. fin. l. ex empto ii. §. i. & ult. ff. de Act. empte. l. consensu 2. §. ult. de Oblig. & Act. Quapropter omnis dolus ab hoc contractu abesse debet, qui si causam dei contractui, ipso jure eum reddit irritum atq; nullum. l. & generaliter 7. in pr. ff. de dol. mal. l. domum 57. §. fin. autem i. & ult. b. t. l. ea verò 3. §. fin. ff. pro socio. Ratio est in l. non dubium. 5. C. de LL. & §. si adversus. pen. Inst. de nupt. G. il. 2. observ. 2. n. 6. Clariss. Dn. Corbman. in paras. C. de dol. mal. (f) l. in venditionibus. 9. ff. b. t. l. emptionem 2. C. eod. l. si stipular 35. §. fin. de verb. oblig. Idq; *εξολω* dicitur, non quod hæc sola consensum habeat, sed quod ad hujus perfectionem non desideretur ulla rei præsentia, non verba, non literæ; sed solus sufficiat consensus, qui utrinq; & rem & pretium complectitur. l. consensu 2. §. i. l. in quibuscunq; 48. ff. de oblig. & Action. princ. Inst. de oblig. ex consens. Vult. i. l. R. 35. Treutl. p. t. d. 28. ch. i. lit. e. Goedd. de contrah. stipul. cap. 3. concl. i. n. 3. (g) nec enim emptio, nec venditio sine re, quæ veniat, potest intelligi. l. nec emptio 8. ff. b. t. (h) §. pretium a. Inst. b. t. l. inter patrem 2. §. i. l. pacta conventa. 72. ff. eod.*

II.

Species ejus duæ sunt: una quæ sine scriptis, altera quæ in scriptis contrahitur. (a) Illa statim simulatq; de pretio conventum, perfecta censetur. (b) Hæc tum demum, quando instrumentum super ea conscriptum omnibus suis numeris est absolutum. (c)

(a) princ. vers. sed hoc quidem. Inst. b. t. l. contractus 17. C. de fid. instrum. (b) d. princ. Inst. b. t. (c) d. l. 17. C. de fid. instrum. d. pr. vers. in q̄s autem. Inst. b. t. Si scilicet ab initio expressè convenit, ut contractus

tractus in scripturam redigatur, *Vvesenb. in parat. ff. b. t. n. 9.* Quod si simpliciter contrahatur primò, postea verò perfectà emptio-
ne venditione accedat scriptura, tunc non in scriptis facta, sed
per scripturam dumtaxat probata dicitur. *l. contrahitur. 4. ff. de pign.*
& hypoth. l. cum res 12. C. de probat. l. cum re. 5. C. de transact. Fachin. 2.
controv. 97. Schneid. ad pr. Inst. h. t. n. 4. Clariss. præceptor Dn. Lindeman.
exerc. Iustim. 7. b. t. th. 3. & 4.

III.

Potest etiam vel purè (a) vel sub conditione (b)
tam inter præsentés, quàm absentes (c) Emptio-Vendi-
tio celebrari.

(a) Si res simpliciter sine ulla vel temporis præfinitione,
vel conditionis adjectione vendatur. (b) quando aliquatenus
suspenditur: veluti si equus meus intra octiduum tibi placuerit,
decem florenis tibi emptus esto. *S. pen. Inst. h. t. l. hæc venditio 7. ff.*
eod. l. sicut emptio 20. ff. Locat. l. obligationum 44. ff. de O. & A. Et ex
hac non nisi existente conditione, quæ ad tempus & principium
contractus initi retrahitur, agi potest, quæ si deficiat, emptio nul-
la est. *l. necessariò 8. in pr. ff. de pericul. & comm. rei vend.* Si autem res
pendente conditione tradita sit, & fortè venditoris non fuit, sed
aliena, emptor eam usucapere non potest: quia nondum est em-
ptio perfecta ante conditionis eventum. *d. l. 8. d. e. l. ubi autem 4.*
in pr. ff. de in diem addict. l. pro emptore 2. §. 2. ff. pro emptore. Et si pre-
tium sit solutum, illud tanquam indebitum potest repeti. *d. l. 8. d.*
l. sub conditione 16. ff. de condict. indeb. (c) *l. i. §. fin. b. t. l. consensu 2.*
§. 2. de O. & A. Fab. de Monte 9. §. n. 48.

IV.

Tria hujus Contractus substantialia esse requisita ex
definitione conitar: videlicet Rem, Pretium & Consen-
süm. (a) Res emi-vendi possunt tam corporales, quàm
incorporales: (b) imò omnes, (c) quas jus homi-
nùm commercio non exemit. (d)

(a) Sine quibus non magis potest esse Emptio-Venditio,
quàm homo sine anima & corpore, ut inquit Myns. *ad §. pretium*
n. 1. Inst.

ii. i. Inst. h. t. Unde & naturalia dicuntur, quæ in hoc Contractu
incendo adeo sunt necessaria, ut si vel unum ex ijs omittatur,
Contractus perfectus non sit, & Emptio nulla *l. i. §. fin. l. 2. §. i. l.*
nec emptio 8. ff. h. t. Wesenb. in parat. h. t. n. 4. Vult. in Inst. h. t. n. 9.
(b) quales sunt Nomina *l. emptori. 6. l. nomina 17. ff. de hered. vel act.*
wend. etiam ignorantibus & invitis debitoribus l. nominis 3. C. eod. l.
delegatio. i. C. de novat. & delegat. & Actiones tam Personales quàm
Reales l. fin. C. de hered. vel act. wend. modò id fiat ante litis conte-
stationem: rei enim litigiosæ nulla est venditio t. t. C. de litig. &
debitor sit certus, etiam si non locuples l. si nomen. 4. ff. d. t. Wesenb.
in parat. ff. de hered. vel act. wend. n. 6. (c) etiam alienæ l. rem alienam.
28. l. Senatus 52. in fin. ff. h. t. Ratio est, quia qui vendidit, necesse
non habet fundum emptoris facere, ut cogitur, qui fundum sti-
pulanti spondit l. si ita 27. §. i. ff. h. t. Ratio rationis datur à
Wesenb. in parat. h. t. n. 12. ne propter incertitudinem & difficulta-
tem probationis dominiorum impediatur hic Contractus usibus
quotidianis maximè necessarius. Imò sufficit, Venditorem,
evictionis nomine obligari l. ex empto 11. §. & imprimis 2. ff. de Act.
empt. Ut autem procedat hoc in casu Contractus, necesse est, ut
uterq; contrahens, vel saltem emptor, rem esse alienam ignoret,
l. si in emptione 34. §. item si 3. ff. h. t. Si secus, non
habet Actionem de Evictione, nisi pacto de ea sibi provi-
deat l. si fundum 27. C. de Evict. Vult. Inst. h. t. n. 38. Hæc autem
venditio vero domino invito nihil juris aufert l. nemo 6. C. de reb.
alien. non alien. l. mater. 3. C. de rei vindic. Et futuræ emi-vendi pos-
sunt: quia fructus & partus futuri rectè emuntur l. nec emptio 8.
pr. ff. h. t. Quin imò etiam spei emptio est. d. l. 8. §. i. h. t. l. si factum.
12. ff. de act. empt. (d) l. si in emptione 34. §. omnium 1. ff. h. t.

V.

Nonnullæ autem res emi-vendi jure prohibentur,
quales sunt, quæ omnino in rerum natura non sunt, nec
fore sperantur. (a) Item res sacræ, sanctæ, religiosæ,
publicæ (b) litigiosæ (c) Emphyteuticæ (d) furtivæ
(e) liber homo (f) & similes. Nec rei quoq; suæ Em-
ptio valet. (g)

(a) l. etsi

(a) l. est consensus 15. in pr. l. si duos 44. l. domum 57. ff. h. r. arg. §. at si quis 1. Inst. de inutil. stipul. (b) §. fin. Inst. h. r. l. sed Celsus 6. l. hanc legem 22. l. si in emptione 34. §. 1. ff. eod. Quod enim divini juris est, nullius in bonis est §. nullius autem 7. Inst. de ver. divis. Ita nequaquam alia Ecclesiastica. l. habemus 14. C. de sacros. Eccles. Quae tamen in casu captivitatis & famis opprimè venduntur: absurdum enim non est, animas hominum quibuscuq; vasis vel vestimentis praeferi l. sancimus 21. in fin. C. d. t. Deinde si uterq; vel etiam Emptor ignoraverit, subsistit Venditio quo ad firmitatem Contractus & praedictum vendentis, ut Emptor consequatur id, quod sua interest, se deceptum non esse. d. §. fin. Inst. h. r. l. & liberi hominis 4. cum 2. seqq. & l. qui officij 62. §. qui nesciens 1. ff. eod. Vult. 1. R. 35. (c) l. 1. §. 1. ff. de litig. l. lite pendente 2. l. fin. C. eod. l. 1. §. fin. ff. quae res pign. (d) nisi domini consensus alioquin jus Emphyteuseos perdit l. fin. C. de jur. Emphyt. (e) l. si in emptione 34. §. item si 3. ff. h. r. Emens enim rem furtivam, pro pretio eam retinere nequit, sed sine refectione pretij vero domino restituere cogitur. Cautius igitur negotiari discat. l. in civilem 2. C. de furt. (f) d. l. sed Celsus 6. l. si in emptione 34. §. liberum 2. l. liber hominis 70. ff. h. r. arg. l. inter stipulante 83. §. sacram. 5. l. liber homo 103. de V. O. Libertatis namq; nulla est aestimatio. §. fin. Inst. qui & ex quib. ca. manum l. si laborantem 2. §. cum in eadem 2. ff. de L. Rhod. de jact. l. libertas 106. l. non est singularis §. 1. ff. de Reg. jur. Rectè tamen venditur l. si major 20. annis ad precium participandum sese venundari passus sit, pretiumq; ad eum pervenerit, Emptor tamen ignoret. §. pen. Inst. de jur. pers. l. liberis etiam 7. §. si quis 1. cum §. seq. l. qui sciens 33. ff. de liber. caus. l. 1. in pr. ff. quib. ad libert. proclam. l. non ideo 5. C. de lib. caus. Tunc enim valet alienatio non propter voluntatem hominis, sed auctoritatem legis. Nec restitutio in integrum hic locum habet. l. si ex causa 9. §. Papinianus 4. ff. de minor. Ratio est in d. l. §. nunc videndum 2. quia Minor adversus dolum & delictum restitui non potest. II. Pater ob famem urgentem & summam necessitatem liberos vendere potest, eandemq; potestatem matri quoq; concedendam esse non dubitamus. l. si quis propter 2. C. de patrib. qui filios. Hunn. 1. var. resol. 2. q. 16. III. Si contrahentes, vel ad minimum Emptor liberum esse hominem nesciat: tunc enim, quo ad obligationem & praestationem ejus quod interest, omnino valet. d. §. fin. Inst. h. r. d. l. 70. ff. eod.

ff. eod. (g) l. est consensus 15. §. si rem. 2. cum l. seq. ff. h. t. l. cum res 4.
l. si mater. 10. C. eod. l. servum meum 37. ff. de condict. indeb. l. debitor. 40.
in pr. ff. de pignor. act. l. ei a quo 21. in fin. ff. de usurp. & usucap. l. neq. pignus
45. & ibi Phil. March. de Reg. jur. Quod enim alicujus jam est, id
amplius ejus fieri nequit. §. sed si rem 10. Inst. de legat. §. sic itaq. 14. Inst.
de Action. Valer autem, si Emptio sit possessionis apud alium con-
stitutæ, d. l. 34. §. 4. d. l. 16. §. 1. ff. h. t. arg. l. 1. §. 1. de Sero. Silan. l.
si aliquam rem 28 de acquir. possess. vel si rem quis suam sub conditio-
ne emat. l. existimo 61. ff. h. t. arg. l. existimo 98. de Verb. Obligar.
Vult. 1. l. R. 35.

-VI-

Pretium, (a) quod Emptor in Venditorem trans-
ferre tenetur, (b) & certum esse, (c) & in pecunia nu-
merata consistere debet. (d).

(a) in quo contrahentes naturaliter (quod tamen non de
fraude vel dolo, sed de solertia Politica, & licitatione, quæ in
commercijs negotiative fieri solet, accipiendum est. Vult. ad Inst.
h. t. n. 24. & lib. 1. l. R. c. 35. n. 58.) se circumvenire possunt. l. in causa
16. §. idem Pomponius 4. ff. de minor. l. item si 22. §. fin. ff. Locat. Emptor
enim viliori comparandi, venditor cariore distrahendi votum
gerunt. l. si voluntate 8. C. de rescind. vend. Quod si verò alteruter
contrahentium ultra dimidiam rei æstimationem sit lapsus, suc-
curritur ipsi beneficio l. 2. C. de rescind. vend. Tam enim Em-
ptori, quàm Venditori id ipsum conceditur. Myns. 4. obs. 73. Fachin.
2. Controv. 16. Hunn. 3. var. resol. 7. part. 1. q. 11. Dissent. Cujac. 16. ob-
serv. 18. quem sequitur Phil. March. ad l. 68. n. 39. de Reg. jur. At autem
uno nummo Emptio Venditio fieri possit, hic quaeri solet? quod
rectè negam. arg. l. si qui conduxerit 46. ff. Locat. l. imaginaria, 16. de Reg.
jur. ibiq. Phil. March. n. 7. & seqq. unus namq. nummus pretio oppo-
nitur in l. si qui ante 10. §. ult. ff. de acquir. possess. Hunn. 3. var. resol. 7.
part. 1. q. 3. (b) l. ex empto 11. §. & in primis 2. ff. de Act. empt. §. ven-
ditæ verò 42. Inst. de R. D. l. 1. ff. de ver. serm. nisi Venditor fidem Em-
ptoris sit securus, aut alia ipsi ratione satisfactum. l. quod vendidi 19.
l. ut res 53. ff. h. t. (c) §. sed & certum 1. Inst. h. t. hęc venditio 7. ff. eod.
Nihil autem refert, si per se sit certum, sive aliunde certificari
possit, ut si in arbitrium tertij cujusdam certi & specificè nominati
confe-

conferatur, & is pretium definiat, tunc omnimodò secundum
 ejus æstimationem & pretium persolvatur, & res tradatur, atq;
 ita Venditio ad effectum perducatur. Qui verò si pretium decla-
 rare vel nequiverit, vel noluerit, pro nihilo est venditio quasi nul-
 lo pretio statuto. *d. §. 1. Inst. h. t. l. fin. C. eod. l. si merces 25. ff. Loc. l. si*
coira 75. pro socio. Non enim est recedendum à persona ejus, cujus
 arbitrium insertum est. *l. si quis 43. junct. l. seq. ff. de Verb. oblig. Goedd.*
de contrah. stipul. c. 8. concl. 8. n. 171. Hunn. 3. var. resol. 2. q. 16. Item si
 ita convenerit: Quanti tu emisti: quantum in arca habeo: vel
 quanti in foro publico emitur, Was Markgang sein wird: vel
 wie hoch es junner zwischen hie und Weynachten gelien wird: Quas
 formulas moderno tempore inter mercatores usitatissimas esse
 quotidiana docet experientia, & certam illæ pretij designationem
 habent, *d. l. 7. §. hujusmodi. 1. l. si quis fundum. 37. ff. h. t. arg. l. certum. 6.*
ff. de reb. cred. Substantia enim potius hic, quam sonus verborum,
 est inspicienda. (*d*) *§. item pretium 2. Inst. h. t. l. empti. 9. C. eod. hoc*
ipso enim à permutatione differt l. 1. §. pen. ff. h. t. l. de rer. permut.
 Quod tamen de initio hujus Contractus accipiendum esse, rectè
 Dd. movent. Nam postea consentienti venditori etiam in alia
 materia solvi potest. *l. pretij. 9. C. de resc. vend. Schneid. ad §. item pre-*
tium. n. 1. Inst. h. t. Treutl. p. 1. d. 28. th. 6. Conventio enim pretij hunc
 Contractum perficit, non numeratio, quæ illum jam perfectum
 subsequitur. *l. 2. §. 1. ff. h. t.* Et in forma & constitutione Contra-
 ctuum initium, non exitum, spectare solemus. *l. 1. §. si servus 30. ff.*
Depos. l. si procuratorem. 8. in pr. ff. Mandat. Utrum autem mea propria
 sit pecunia, an aliena, nihil interest. Nam & aliena pecuniâ res
 meo nomine empta, mea est. *l. si pecunia. 1. l. qui aliena 8. §. 1. C. si*
quis al. vel sibi sub. al. nom. Si verò in dubio sit, ejus nomine eme-
 rim, præsumptio pro me facit. *arg. l. §. magis 4. ff. de solut. è contra,*
res meâ pecuniâ empta, non mea, sed ementis est. l. si ex ea. 6. C. de
rei vindic. Aliud est in milite. l. si ut proponis 8. eod. Treutl. p. 1. d. 15.
th. 6. lit. D.

VII.

Consensus debet esse mutus (a) verus nec simulatus
 (b) liber (c) perspicuus (d) in eandem rem (e) & eua-
 dem Emptionis Venditionis Contractum (f) directus.

B

(a) non

(a) nam in alterius arbitrium aut voluntatem collatus. *l. hae venditio. 7. in pr. l. quod saepe 35. §. illud 1. ff. h. t. in vendentis enim vel ementis voluntatem collata conditione comparandi, quia non adstringit necessitate contrahentes, obligatio nulla est, l. in vendentis 13. C. eod. Hunn. 3. var. resol. 2. q. 14. (b) Nuda enim & imaginaria Venditio pro non facta est. *l. nuda 55. l. cum in 36. cum l. seq. ff. h. t. l. si donationis. 3. C. eod. & Contractus imaginarij, etiam in emptionibus, juris vinculum non obtinent: cum fides facti simulatur non intercedente veritate. l. contractus 54. ff. de Oblig. & Act. Hunn. 3. var. resol. 7. part. 1. q. 3. (c) Invitus enim nemo vendere cogitur. *l. invitum. 11. C. h. t. l. nec emere. 16. C. de jur. delib. ne in potestate cuiusq; sit per rapinam ab invito domino rem iusto pretio comparare, l. nec quasi. 70. ff. de rei vind. ne a Principe quidem, nisi publica aliquid suadente utilitate, & alijs quibusdam casibus, quos videre licet apud Vult. 1. l. R 35. Gail. 2. obs. 56. Schneid. ad §. fin. n. 7. & seqq. Inst. h. t. Et tunc quidem iustum pretium est refundendum. *l. venditor. 13. §. si constat. 1. ff. comm. praed. l. si quis 12. in pr. de relig. & sumpt. fun. Unde colligitur, metu contractam Emptionem rescindi. l. 1. ff. quod mer. caus. l. 1. C. de resc. vend. l. nihil consensus 116. & ibi Phil. Matth. de Reg. jur. Goedd. de contrah. stipul. c. 3. concl. 7. n. 156. & seqq. Hunn. 3. var. resol. 2. q. 17. (d) Qui tamen si de facto absit, non Contractus propterea statim est destruendus, sed potius conservandus, arg. *l. quoties. 12. ff. de reb. dub. l. quoties. 80. de verb. oblig. & ad interpretationem recurrendum est secundum praescriptum l. ubi est. 21. ff. de reb. dub. l. semper in stipulationibus 34. & l. in obscuris 114. de Reg. jur. & interpretatio facienda contra eum, qui potuit apertius Contractui legem dicere. *l. veterib. 39. ff. de pact. l. in contrahenda 172. de reg. jur. l. Labeo 21. l. cum in lege 33. ff. h. t. Phil. Matth. ad l. 9. de reg. jur. Goedd. d. tr. c. 8. concl. 11. n. 205. & seqq. Hunn. 3. var. resol. 2. q. ult. (e) *l. in venditionib. 9. ff. h. t. Nihil enim tam consensui contrarium est, quam error & dissensus. l. si per errorem 15. ff. de iuridict. l. consensisse. 2. in pr. de iudic. cum, qui errant, non consentiat, d. l. nihil consensus 116. §. fin. de reg. jur. & errantis nulla sit voluntas. *l. sed hoc ita 20. ff. de aq. & aq. plusv. arc. l. cum testamentum 8. C. de iur. & fact. ignor. Unde error in corpore d. l. 9. h. t. l. in omnibus 57. ff. de oblig. & Act. ejusq; & materia vel substantia (quae tria hic pro uno eodemq; sumuntur. Goedd. d. loco consil. 4. cap. 3. n. 23.) d. l. 9. in fin. l. quid tamen 14. in fin. l.********

cuna

*cum ab eo 41. §. fin. ff. h. t. (exceptis duobus casibus l. quando mate-
 ria non est toto genere diversa, & in earum alterutram consense-
 runt contrahentes. l. aliter arg. 10. l. quid tamen 12. in pr. ff. h. t. II.
 quando interest Emptoris, Contractum servari & custodiri. Vult.
 Inst. h. t. n. 19. & 21.) Contractum hunc vitiat. Goedd. d. rr. c. 3. n. 28.
 & 29. Wesenb. in parat. ff. h. t. n. 6. Hunn. 3. var. resol. 2. q. 19. & 20. & 11.
 de pact. c. ult. q. 6. Error verò nominis non officit, si de corpore
 constat. d. l. 9. b. t. arg. l. si in iudicis 80. ff. de iudic. l. idem Pomponius 5. §.
 pen. de rei vind. l. si in nomine 32. de Verb. oblig. (f) h. e. ut uterq; in id
 consentiat, quod alter rem venditam, & sibi pretium pro ea solvi:
 alter rem emptam & pretium à se præstari velit. arg. l. cum in 36. l. cum
 manu 80. §. fin. ff. h. t. l. si donationis 3. C. eod. l. si ego pecuniam 18. ff. de reb. cred.
 Vult. d. loc. & ad Inst. h. t. n. 11. Error enim & dissensus circa Contractus
 speciem, quia de alio negotio sensit actor, de alio reus, impedi-
 mento est, quo magis nascatur obligatio ex illo negotio, quod in
 alterutrius opinione versabatur. Goedd. d. loc. concl. 2. n. 9. & 10. Hunn.
 d. loc. q. 18.*

VIII.

Unde consequitur, Contractum hunc celebrare posse
 omnes, qui & consentire & obligari possunt: (a) exceptis
 ijs, qui vel natura (b) vel lege (c) prohibentur.

(a) l. emptionem 2. C. h. t. Iniquum enim est, ingenuis homi-
 bus non esse liberam rerum suarum alienationem. l. non usq; adeo 2.
 ff. si à parent. quò manum. cum nihil tam conveniens naturali æqui-
 tati, quàm voluntatem domini, volentis rem suam in aliam trans-
 ferre, ratam haberi. §. per traditionem 41. Inst. de rer. div. & imprimis
 quilibet rei suæ sit moderator & arbiter. l. in re mandata 21. C. mandar.
 (b) ut infantes §. pupillus 9. Inst. de inutil. stipul. quia ejus sunt ætatis,
 ut nondum intelligant, quid agatur. l. 1. §. huic proximus 13. ff. de oblig.
 & act. Furiosi d. l. 2. C. h. t. §. furiosus 8. Inst. de inutil. stipul. l. patre furioso 8.
 ff. de his qui sui vel alien. l. is cui 6. de verb. oblig. l. in negotijs 5. l. furiosi 40.
 de reg. jur. dilucidis tamen intervallis, ut aliud quodvis negotium
 gerere, ita & emere-vendere rectè possunt. d. l. 2. C. h. t. arg. l. furio-
 sum 9. C. qui test. fac. poss. Philip. Matth. ad d. l. 40. n. 13. de R. l. Prodigii
 d. l. 40. de reg. jur. d. l. 6. de Verb. Oblig. l. si sciens. 26. ff. h. t. (c) Pupillus
 absq; tutoris autoritate & consensu. l. obligari 9. ff. de aut. tut. l. qui
 à quolibet 27. ff. h. t. l. Iulianus. 13. §. si quis 29. de act. empte. §. nunc admo-
 nendi

vendi ult. Justin. quib. alien. lic. l. si id 7. §. 1. de rescind. vend. Tutor & pupillus. l. si in emptione 34. §. fin. ff. h. t. excepto casu l. cum ipse tutor. 5. C. eod. l. pupillus 5. §. item ipse. 2. de autor. tut. & l. fistulas 78. §. 1. ff. h. t. Pater & filius l. inter patrem. 2. ff. h. t. exceptis bonis castrensibus & quasi castrensibus; d. l. 2. In his enim filijfam. patrumfam. vicem obtinent l. 2. ad SCem. Maced. Imò etiam adventitij illis, quorum ususfructus patri non acquiritur l. fin. §. ult. C. de bon. que liber. Fab. de Monte q. 3. n. 3. Magistratus & subditus, l. non licet 46. ff. h. t. nisi quando prædia paterna à fisco distrahantur l. qui officij 62. eod. & quando ea, quæ ad alimoniam vel vestes pertinent, emuntur. l. un. pr. & §. 2. C. de contract. judic. Medicus & ægrotus. l. Archiatri. 9. C. de profess. & med. l. si medicus 3. ff. de extraord. cognit. Pinell. in l. 2. C. de rescind. vend. par. 2. c. 2. n. 32. & seqq. Fachin. 2. controv. 25.

I X.

Quando suprâ dicto modo pretium Consensu utriusq; contrahentis de re emenda vendenda est constitutum, tunc Contractus censetur omnino perfectus (a) quamvis nondum sit tradita; nec pretium solutum, ac ne arrha quidem data fuerit. (b)

(a) princ. Inst. h. t. l. necessario 8. ff. de peric. & comm. rei vend. Hoc enim solum Contractum hunc perficit: traditio rei, & pretij solutio illum consummat. l. ex empto. 11. §. & imprimis. 2. ff. de act. empt. l. 1. de rer. permur. l. si duo 13. §. si quis 3. de jurejur. Suntq; illa Contractus hujus causa: hæc causa: illius effecta. Vult. dict. loc. (b) Arrhæ enim nomine quod datur, plerumq; argumentum est Emptionis-Venditionis contractæ, pr. Inst. h. t. l. quod sæpe. 35. ff. eod. nonnunquam tamen etiâ contrahendæ, quando nimirum in scriptis Contractus perficitur. Unde hoc in casu alter altero invito amissione arrharum, vel duplicatarum restitutione à Contractu recedere potest. l. contractus. 17. C. de fid. instr. pr. l. h. t. l. mulier 5. C. de sponsal. Vvesenb. parat. ff. h. t. n. 9. Illo verò casu minime l. de contractu. 3. l. non est 6. cum l. seq. C. de rescind. vend. Qui enim Contractus ab initio sunt voluntatis, ex post-facto sunt necessitatis l. sicut initio. 5. C. de Oblig. & act. Sed Contractus omnino est consummandus, & res præcisè tradenda l. cum manu. 80. §. ult. ff. h. t. d. l. ex empto. 11. §. 1. & 2. l. si quis 46. de Act. empt. §. alia autem. 2. Inst. de donat. l. si quis argen-

etiam. 35. §. fin. C. eod. l. qui restituere. 68. ff. de rei vind. l. qui duob. 21. ad L.
Cornel. de fals. l. sancimus. C. de pœn. Aliud enim pro alio invito cre-
ditori solvi non potest. l. mutuum. 2. §. mutui. 1. de reb. cred. Arumæ. 14.
exerc. 2. Riemer. 10. det. quest. illustr. 9. Hüllig. in Donel. enucl. 13. comment.
2. lit. A. Quod tamen si facere nequeat venditor, vel Emptor etiam
malit, præstando interesse liberatur l. 1. ff. de Act. empt. l. ex empto. 11.
§. idem ait. 9. eod. l. voluntate. 10. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. Vult. ad §.
sequens illa divisio. 16. n. 110. Inst. de Action. Myns. 1. obs. 53.

X.

Sicut commodum, ita & periculum rei venditæ per-
fecto contractu statim ad Emptorem pertinet.

l. 1. l. cum inter. 4. C. de per. & comm. re. vend. l. si per. 5. l. id quod 7.
l. seq. l. si vendita. 11. ff. eod. §. cum autem. 3. l. h. e. l. si soluturus. 39. ff. de
Plur. l. cum emptor. 5. §. fin. de resc. vend. l. quod sæpe 35. §. si res 4. l. do-
mum. 57. ff. h. e. Etiam si res nondum sit tradita, & casu fortuito
interierit. l. cum speciem 5. C. de peric. & comm. re. vend. l. hoc ita 2. §.
fin. ff. eod. Ratio ejus hæc est: quia Emptione perfecta res vel spe-
cies apud Venditorem esse definit, veluti obligatum actione per-
sonali ad speciei traditionem, dominio jam juris intellectu in
Emptorem translato, qui ejus etiam juris respectu rem ipsam sta-
tim sibi tradi petere potest. Unde etiam is, qui actionem habet
ad rem, ipsam rem habere videtur. l. rem in bonis. 52. ff. de acquir. rer.
dom. l. is qui 15. de reg. jur. & id apud se quis habere videtur, de quo
habet actionem: habetur enim quod peti potest. l. id apud se 143. de
verb. sign. Cum itaq; Emptor in mora petendi sit, mora ea sibi no-
cere debet, l. in condemnatione 173. §. unicuiq; 2. de reg. jur. non adver-
sario. l. factum 155. pr. eod. Ubi tamen distinctione plenius res est
expedienda. Si enim res pondere, numero, & mensura constans
pure per aversionem sit emptæ, periculum erit Emptoris. l. quod
sæpe 35. §. in his. 5. & seqq. ff. h. e. Sin minus, Venditoris erit ante-
quam adpensa, adnumerata & admensa sit. d. l. & l. 1. §. 1. de peric.
& com. re. vend. Si verò degustatio accedat, sicut in vino, tunc an-
te eam periculum est Venditoris, post eam periculum qualitatis
Emptor sustinet l. 1. in pr. eod. In alternativis autem conventio-
bus unus Venditori, uterq; Emptori perit l. si in emptione 34. §. pen.
ff. h. e. Aliud autem est l. in conditionali venditione, ubi ante
B 3) condi-

conditionis eventum totalis rei interitus ad Venditorem, deterioratio verò, ut & post impletam conditionem omne, damnum ad Emptorem spectat *l. necessario. 8. de per & com. re. vend. l. pen. & ult. C. eod. l. plerumq; 10. §. inde quæri. 5. ff. de jure dos. II. quando in contrarium contrahentes inter se convenerunt: tunc enim id, quod placuit, servandum est. l. 1. l. si in 10. ff. de per. & com. re. vend. §. 3. v. sanè si. Inst. b. t. Quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, servare? l. 1. ff. de pact. l. non minorem. 20. C. de transact. d. l. 11. §. 1. de Act. empt. III. Si mora, culpa, vel dolus alterutrius intervenerit. d. l. quod sepè. 35. §. si res. 4. ff. h. t. l. hoc ita. 2. l. seq. l. lectos. 12. l. quod si. 14. l. illud sciendum. 17. ff. de peri. & com. re. vend. l. ratio. 3. §. fin. de Act. empt. §. cum autem. 3. v. quicquid enim. Inst. b. t. l. quod te. 5. ff. de reb. cred. IV. Si res in genere, non in specie, sit vendita, tunc ante traditionem periculum est Venditoris *arg. l. quod si. 14. in pr. ff. de per. et com.* Genus namq; perire non potest. *l. incendium. 11. C. si cert. petat.* Idem de commodo quoq; sentiendum: Secundum naturam enim est, commoda cujusq; rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. *l. 10. de reg. jur. §. cum autem. 3. vers. nam & commodum. 1. h. t. l. fructus 13. C. de act. empt. l. id quod 7. de per & com. l. u qui 15. §. ult. ff. de legat. præstan. Dn. Cunrad. Rittershus. ad l. 23. cap. 7. de reg. jur.**

XI.

Datur ex hoc Contractu Actio Empti & Venditi (a)
 Illa quidem Emptori (b) adversus Venditorem (c) ut
 rem (d) vacuam (e) ejusq; fructus (f) & accessiones
 (g) à tempore Contractus præstet. (h)

(a) *l. 11. l. 13. & r. t. de Act. empt.* (b) ejusq; heredi. *l. si fundum. 2. C. de pact. int. empt. & vend. comp.* quando scilicet ex sua parte Contractus impletus, & pretium solutum, aut certè oblatum est. *l. ex empto 11. §. 2. l. Iulianus 13. §. offerri 8. ff. de act. empt. l. si pater 8. in fin. C. eod. l. quod vendidi. 19. de contrab. empt. vel aliàs satisfactionibus aut pecuniæ depositione satisfactum. l. ut res 13. ff. eod. l. videamus 26. de edilit. edict. l. si soluturus 39. de solut. §. venditæ 42. l. de rev. divis. (c) *l. venditrici. 3. C. de reb. alien. non al.* (d) *§. rei persequendæ. 17. l. de action. d. l. 11. §. 2. de Act. empt. l. perfectam 2. C. quando. lic. ab empt. (e) l. 2. §. 1. l. 3. l. 11. §. 8. de act. empt. l. si pater. 8. C. eod. l. 78. §. 1. ff. h. t. l. cum**

l. cum res. 12. C. de probat. l. 18. ff. de vi & vi arm. Goedd. ad l. 188. de V. S. Vvesenb. par. h. t. n. 13. Donel. 4. com. 19. ibiq. Hillig. lit. B. Riemer. 16. de quaest. illustr. 19. Mynf. 1. obs. 53. (f) l. 3. §. 1. l. 13. §. 10. ff. de Act. empte. l. 13. l. pen. C. eod. (g) l. 13. §. 18. l. 17. l. seq. ff. eod. l. 40. §. ult. l. 47. cum l. seqq. l. 69. l. 77. cum seq. ff. h. t. An autem qui equum vendidit, etiam sellam, frenum & ornamenta reliqua vendidisse censetur? Affirm. si equus tali sella, freno vel ornamento ornatus fuerit. arg. l. adiles. 38. ff. de adit. edict. nisi contrahentium conventio vel loci consuetudo contrarium suadeant. (h) aut si Emptor malit, ejus loco interesse solvat. In arbitrio enim Emptoris hoc est positum, utrum ad rem, an ad interesse agere malit. l. si traditio. 4. l. cum venditorem 10. l. seq. C. de Act. Empt.

XII.

Hæc verò venditori competit adversus Emptorem, ut post rem traditam (a) pretium (b) & usuræ (c) pretij dicto tempore non soluti unâ cum sumptibus (d) tradantur.

(a) aut certè oblatam, vel obsignatò depositam: cum enim actionem vult intendere, prius consummare Contractum debet, aliàs exceptione rei non traditæ poterit repelli. *l. qui pendentem 25. ff. de Act. empr. (b) Unde etiam hæc Actio appellatur Actio pretij ab Imp. in l. si non donationis. 8. & seq. C. h. t. & l. si servos. 7. C. de act. empr. Rei enim traditæ vindicatio Venditori amplius non competit, cujus quippe Dominium (si quod habuit) & omne jus suum ipsa traditione in Emptorem transtulit. *l. in civile. 12. C. de rei vind. l. traditionibus. 20. C. de pact. (c) quæ propriè quidem in hæc Actionem non veniunt, cum in obligatione non sint; officio autem iudicis præstantur. *l. qui per collusionem. 49. §. fin. ff. de act. empr. & quidem vel ex mora, vel ex conventionione speciali sine mora. *l. initio. 5. C. de pact. in empr. & vend. com. (d) quos Venditor post perfectam venditionem in rem venditam fecit. *l. Iulianus 13. §. præterea. 22. ff. de act. empr. l. post perfectam. pen. C. eod. Vult. 2. l. R. 9.*****

92 26

SUO

SUO GEORGIO CRUSEMARCIO


Quâ te laude feram multum dilecte GEORGI,
qui steriles curas, humilem te susq; popellum
Optasti solida fructum decerpere laudis,
dum tener à tenero puero puer indolis alta
Palladias artes, Musæaq; castra secutus
juris opus legumq; operosam volvere molem
adgressus; nec conatus Astra fefellit.
Quippe hodiè tua mens accincta paratibus altis
hortatur tentare vias, unde incluta surgit
gloria, fert animus pulcri certamen honoris
cernere, & Ingenij florem sub Præside claro
Doctore ALBINO, quo non solertior alter,
discutere ambigui nebulas & nubila juris,
adversasq; jugo stabili componere leges,
Ergo macte animo & quæ sublimibus alis
te levat ingenij famâ; felicibus hortor
auspicijsq; invade viam, quæ tendit ad astra:
Spemq; Patris, Patriæq; decus, laudesq; tuorum
mente animoq; refer, manet hunc præclara laborem
gloria, teq; viris doctrinâ illustribus olim
fama favens toppe sustollet præpete pennâ.

Honoris ac amoris Ergo

f. M. CONRADUS BRANDT
C. P. & S. S. Theologiæ
Studiofus.

32. Albinus, de mutuo.
34. Anselm, Grund rurs Grund maxime.
35. Struv. de bonis mariti in rebus uxoris immobilibus
inestimato in dotem datis.
36. Struv, de lucro dotis ejusque privilegio in concursu
creditorum. non ver Gm mit Gützigau Harbenburg.
37. Schaeffer, de atramento.
38. Bierlingius. de eruditione politica.
39. Bünting, de jure filii.
40. Büchel, de prima instantia camerae quoad personas.
41. Buchholtz, vindictae secundum dispensationem metri
mariti cum defunctae uxoris favore ab infideli.
42. Stoyce de jure matrimonii et institutione.
43. Stoyce de fine matrimonii.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn749383941/phys_0024

DFG

